



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Quomodo satisfaciendum sit pro peccatis. Can. VII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

vel alia eiusmodi inconuenientia moueantur. Quod idcirco fit maximè, quia pro obiecto cogitationis ipsa peccata sua assumunt, illa inspiciendo, & ad illa se conuertendo, loquuntur atque disputant cum illis extra me. Atque idè dum sua peccata secum ipsi tractant quamlibet bona intentione, magis tamen obtenebescunt, quàm illuminantur. Tu verò cùm peccatricem te cogitare, cùm te humiliare vis, relinquitis peccatis, ad me conuertere: mecum de peccatis, de infirmitatibus, de defectibus tuis tracta: mihi quarimonias tuas aduersum te expone, mihi loquere, mihi quàm iniquè egeris, te accusa. Inde fiet vt peccatorum tuorum accusatio in orationem conuertatur. Quapropter ad me conuersa orando, peccata tua mecum tracta. Hoc modo conscientia tua serena efficitur & tranquilla: affectio quoque tua ad me conuersa, ex me inflammatur.

Accusatio peccatorum quomodo esse fieri debeat.

Quomodo satisfaciendum sit pro peccatis.

CANON VII.

IAM verò de satisfactione pro peccatis hoc consilium tu amplectere, vt quicquid manus tua potest instanter opereris: non tamen eo animo, aut eo fine, quasi tu peccata tua redimere velis, aut satisfacere queas. Ad hoc enim opera tua nimis indigna nimisque imparia debes aestimare. Sed age omnia vt mihi placeas, quem offendisti. Meroga potius, & mihi ita confide, vt meritis passionis ac vitæ meae sanctissimæ tua velim abole delicta, atque pro illis Patri meo satisfacere. Hæc humilitas, hæcque fiducia ad me tua, quibus te ipsum operaque tua vilificas, me verò ac merita mea extollis, omnia satisfactionis tuæ opera excellit (quandoquidem vna gutta sanguinis mei excellit, & valoris ac satisfactionis plus habet omnibus meritis humanis: idè pro peccatis totius mundi satisfacit) & me inclinatur ad te, vt meritorum meorum thesaurum tibi faciam communem. Quapropter hoc præcipuum sit studium tuum, vt beneplacitum meum non negligas, vt me continuè cogites, desideres, ames: & quæ iussi siue per me, siue per vicarios meos, imò quæcunque volo diligenter perficias. Et si mille millium peccatorum haberes acervos, omnia sicut vnum peccatum dimitto. Neque enim distat apud me saluare ex paucis vel ex multis peccatis. Vnde mille peccata sicut vnum ignosco. Mirum est quod dicturus sum, certissima tamen indubitataque fide tenendum: Si totus mundus esset globus igneus, & in medio eius de stipula lini pugillus vnus, hic ex sua naturali inclinatione non tam cito flammaram reciperet incendium, quàm recipit abyssus miseram meam meam peccatorem penitentem & conuerti volentem: quia in illa actione naturali quantalacunque pateretur morula, licet minima ac fortassè imperturbabilis, hic verò nulla penitus mora inter penitentem & remittentem, inter gementem & gemitus exaudientem interuenit.

Eccle 9

studium præcipuum penitentis quid esse debeat

Misericordia Dei quæ immensa erga peccatores.

Certis horis diei debet examinari conscientia.

CANON VIII.

CONGRUIT autem homini vt certa habeat exercitia, quibus peccata vel quotidiana exhauriat, & seipsum gemitibus ac cordis doloribus lauet, bestendo genua, suspirando veniam, in terram aspiciendo, pectusque tundendo. Nam

M m m 3 omni